40
7
1

0 022 204 577 0

A 6140
C3 K7
opy 1

DE CARMINE INCERTI AUCTORIS DE FIGURIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

ET

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

PROPOSUIT

HERMANNUS KRUPP

CAND. PHIL.

82140

IENAE, 1874.

TYPIS RATH.

PA6140
C3K7

In annalibus scholae diplomaticae Parisiacis, qui inscribuntur „Bibliothèque de l'école des chartes", Julius Quiceratus anno 1839 carmen latinum de figuris vel schematibus in codice bibliothecae regiae, qui numero 7530 est insignitus, inventum edidit „fragment inédit d'un versificateur latin sur les figures de rhétorique." Cujus carminis editionem in Germania principem curavit F. G. Schneidewinus Gottingae 1841, alteram fere eodem tempore Hermannus Sauppius in epistola critica ad Godofredum Hermannum Lipsiae 1841. Atque Quiceratus, qui primus libellum edidit, quum fontes graecos prorsus neglexisset tantum ea indicavit, quae cum Rutilio Lupo convenirent et in aetate incerti auctoris definienda Augusti temporibus librum compositum esse censuit, cfr. biblioth. de l'école des chartes 1ère série IV, 80. Schneidewinus autem et Sauppius, qui quam maxime Graecorum rationem habuerunt, quos primos hanc rem tractasse constat, versificatorem neque Rutilii neque Alexandri Numenii libris usum esse censuerunt, sed eum ex iisdem fontibus hausisse demonstrare conati sunt, ex quibus illi rivulos suos derivavissent, cfr. Schneidew. praef. p. XI. et Saupp. in epist. crit. p. 156 sq. Ac Schneidewinus quidem versificatorem praeter Gorgiam alios quoque rhetores graecos

adiisse statuit, Sauppius auctorem libris Gorgiae Atheniensis et Caecilii Calactini usum esse p. 157. Quam ad opinionem ea potissimum re perducti sunt, quod vestigia aetatis Ennii et Lucilii tam manifesta iis esse videbantur, ut incertum auctorem haud ita multo post vitam egisse putarent. Quare quum Quintilianus II, 2, 102 doceat, Rutilium Lupum Gorgiae quattuor libros in unum suum transtulisse, versificatorem non Rutilio Lupo sed Gorgia usum esse statuerunt et Schneidewinus p. X addit: nempe et ipse e limpidis fontibus graecis haurire didicerat. Alexandrum Numenium porro, quem v. 150 — 187 mirum quantum cum auctore nostro convenire intellexerunt, ex iisdem fontibus hausisse, ex quibus Alexander hauserit, censuerunt. — Quapropter tres priores editores auctorem in augusteam aetatem relegaverunt et quum v. 180 exemplo Vergilii, id quod Quiceratus non concedit, usus sit, Schneidewinus et Sauppius eum haud ita multo post Vergilii mortem et Aeneidem editam carmen composuisse pro certo affirmaverunt. —

Verum paucis annis post exstiterunt qui ab his viris magnopere dissentirent, quorum primus erat Fridericus Haase, cfr. hallische literaturzeitung 1844 No. 217 et 218, et tum maxime Gustavus Dzialas, cfr. quaest. Rutilianas diss. inaug. Vratisl. 1860, qui in iisdem fere fundamentis, quae Haase substruxerat, processit. Quae ab Haasio disputata sunt, iis eae causae refutantur, quibus priores editores commoti versificatorem in Augusti tempora rejecerant, prosodiam dico, cfr. hall. literatztg. 1844 p. 394 et comicorum poëtarum formas p. 395 et sermonem qui eundem antiquitatis horrorem retinet p. 390 et verba permulta quae vel novi finxit versificator vel ei cum vetustioribus solis scri-

ptoribus communia sunt. Argumentis igitur Schneidewini et Sauppii refutatis Haase p. 396 incertum de figuris auctorem tertio vel quarto p. Ch. saeculo vitam egisse et Alexandri Numenii et Rutilii Lupi libris et aliis scriptoribus, qui in libello componendo emolumento esse possent, usum esse contendit. —

Neque vero mihi praetermittenda videntur quae Th. Mommsen et Th. Bergk hoc de carmine senserint, cfr. Zeitschrift für die alterthumswissenschaft 1845 p. 815 sq.

Atque Th. Bergk haec affert: ich meinerseits bin durchaus der meinung, dass jenes gedicht mit seiner archaistischen affectation einer sehr spaeten zeit, dem 4. oder 5. jahrhundert angehoere, worauf namentlich auch versbau und prosodie hinfuehrt: gerade in dieser zeit erschienen zahlreiche schulbücher in versen, so die metrik des Albinus, die wahrscheinlich ein würdiges seitenstück zu den schematibus bilden würden.

Quae Th Mommsen paucis comprehendit, haec sunt: denn dass wir nicht ein gedicht aus dem augusteischen zeitalter, sondern die verse eines sehr spaeten rhetors und noch dazu in usum scholarum geschriebene vor uns haben, darüber werden sie wol mit mir einverstanden sein.

Restat ut de Gustavi Dzialae disputatione paucis disseram. Is enim sententiam Haasii id quod jam supra diximus secutus, eam non solum aliis gravibus argumentis confirmat, verum etiam statuit p. XXII sq. versificatorem libro Rutilii Lupi arrepto, quum ab initio usque ad finem primum eas figuras notaret quae a litera α inciperent, deinde quae a litera β, γ, totum alphabetum grae-

cum percurrisse. Neque nobis mirandum esse docet, ordinem alphabeticum non semper esse servatum, quum figurae quaedam summo affinitatis vinculo tam arcte conjunctae essent, ut divelli nullo modo possent p. 24 sq. Jam figuris deinceps perlustratis et Rutilii et versificatoris figuras tantummodo esse verborum et versificatorem eo exemplari Rutilii Lupi quod nunc habemus, usum esse exposuit, id quod evidentissime ex lacuna I, 5 — 6 intelligitur, quae jam in eo exemplari Rutilii erat, quo versificator usus est. Qua potissimum re perductus Dzialas versificatorem sexto vel septimo p. Christ. saeculo vitam egisse censuit. —

Quae praeterea in commentariis philologicis a viris doctissimis disputata sunt, quum plerumque locorum corruptorum ratio habeatur, silentio praetermittamus. —

Quare jam ad rem ipsam pergamus quaeramusque primum, quae hujus carminis forma principalis fuerit, deinde quibus temporibus carmen compositum sit, ratione habita sermonis potissimum reique metricae.

Dubitari non potest, quin duae hujus carminis partes exordio excepto secernendae sint, quarum prior constat v. 12 — 150, qua figurae ex ordine literarum dispositae sunt, altera v. 151 — 187, qua ordine alphabetico neglecto duodecim figurae quasi supplementum priorum adjiciuntur. Quae carminis compositio mirifica est, simulque suspiciosa quum causae afferri possint nullae cur auctor, postquam Rutilii figuras nobilissimas ex ordine alphabetico attulit, duodecim Alexandri figuras ordine alphabetico omisso adjecerit?

Schneidewinum quidem, Sauppium, alios hac in re

non offendisse valde sum miratus, quamvis primo aspectu pateat, hac in carminis compositione haesitandum esse. Nam si diligenter primam carminis partem cum secunda comparaverimus, intellegemus, auctorem primae partis id secutum esse, quum trinis versibus figuras singulas tractaret, ut primo versu nihil nisi figuram interpretaretur, ut secundo et tertio versu figuram quam attulit, nullis aliis verbis admixtis, exemplis illustraret. Sed plane aliam viam secundae partis auctor ingressus est, ut quattuor in rebus nobis offendendum sit. Primum enim, id quod a prima carminis parte alienum est, in altera parte tres figurae non definiuntur, quae sunt: ἀναστροφὴ v. 157, ἀλλοίωσις aut ὑπαλλαγὴ v. 172, περίφρασις v. 151, ut v. 172:

„Est autem circum illa locutio „bucera saecla“.“

Deinde definitio figurae quae in prima carminis parte semper primo versu affertur, bis in secunda parte in secundum versum procurrit, in figuris ἐλλείψεως v. 175 et πλεονασμοῦ v. 178, ut:

„Exsuperatio fit quod causa appono honoris
Cum vacat“ (sequitur exemplum).

Tum in secunda parte exempla saepius particula „ut“ inducuntur ut v. 155, 179, 185, 165, ut v. 154:

Praeoccursio fit, si reddas priu' posteriori
Ut: pluvias cernas nolle istos ac cupere illos.

id quod in prima carminis parte nusquam invenitur.

Ad postremum ea in re haeremus quod in secunda parte alia verba ad ea potissimum quae maximi sunt mo-

menti interpretanda adjiciuntur ut v. 164, v. 168, v. 172, v. 180, v. 182, v. 186, ut v. 186:

Si plenum cumules adsignificatio fiet
Ut mihi non placet hoc animo. Quippe hinc
„animo“ aufer
Et nihilo minus est plenum, verum auxerit illud.

Quam ad discrepantiam sermonis quae per se jam id valeat necesse est, ut has duas partes ab eodem auctore profectas esse omnino neges, alia accedunt, quae hanc meam sententiam egregie confirment.

Quis enim est quin intelligat, figuras μετάφρασιν v. 91 et μεταβολὴν v. 170 eodem nomine latine verti „variationes“ quamquam nullo affinitatis vinculo conjunctae sunt? Quis est quin intelligat, figuras μεταβολὴν v. 170 et πολύπτωτον v. 106 qua ratione definiantur exemplisque illustrentur, secerni nullo modo posse? Quae res ut planius intelligatur, figuras in medium vocabo: μεταβολὴ v. 170:

Si verbum varie mutes variatio fiet.
Quis nos propter te dilexit? Quando aliquem tu
Iunxisti? Quas res gessisti, cur ita abundas?

πολύπτωτον v. 106:

Multiclinatum contra variantibu' quod fit.
Tu solus sapiens, tibi cuncti cedere debent,
A te consilium petere et tua dicta probare.

Quas figuras sui simillimas esse et fere eandem vim habere hujus rei testis jam Quintilianus IX, 3, 37 et 38 qui haec affert: „Fit casibus modo hoc schema quod

πολύπτωτον vocant, constat aliis etiam modis ut pro Cluentio „quod autem tempus veneni dandi? illo die? illa frequentia? per quem porro datum, unde sumptum? quae porro interceptio poculi, cur non de integro autem datum?“ hanc rerum conjunctam diversitatem Caecilius μεταβολὴν vocat. Quae quum ita sint omnes concedant necesse est nos ex iis quae legantur neque ex figurarum definitionibus neque ex exemplis quae ad figuras illustrandas afferantur, quid inter eas intersit, intelligere posse. —

Neque desunt alia quae meam sententiam etiam magis comprobent.

Figura προσαπόδοσις quae in prima carminis parte v. 112 legitur, tam arcte cohaeret cum figura προυπαντήσεως v. 154 ut a Rutilio Lupo non secernantur qui haec affert: προσαπόδοσις figura qua sententiis duabus aut pluribus propositis una cuique ratio vel posterius redditur vel statim sub unaquaque sententia subjungitur. Atqui in carmine nostro haec figura Rutiliana in duas figuras divellitur, quae sunt ἀπόδοσις v. 112:

„Est subnexio propositis subnectere quaeque
At nos non ut tu, nos simplicitate tu arte
Hoc das, hoc adimis nobis, das spes, adimis res.“

et figura προϋπάντησις v. 154:

Fit praeoccursio si reddas priu' posteriori.
Ut: pluvias cernas nolle istos ac cupere illos;
Artrantes cupiunt imbrem, noluntque viantes.

Quodsi carmen ab uno auctore profectum esset, figuras arctissime conjunctas auctor non divellisset, quum in

prima parte id saepius animadvertamus, quamvis ordo alphabeticus turbetur, tamen figuras inter se simillimas non secerni, id quod quum ex aliis locis tum ex versu 32 apparet: ἀπόκρισιν sequitur ἐπαναφορά et interpositis tribus figuris ἐπαναφορᾶς, ἐπιφορᾶς, κοινότητος quae arctissime cohaerent, recurritur ad figuram quae litera α incipit ἀναδίπλωσιν.

Praeterea offendimus in figuris ἀλλοιώσεως v. 19 et ἀλλοιώσεως v. 172 quae quidem appellationibus graecis exceptis nulla in re inter se congruunt. Idem fere quadrat in figuram ἀντιμεταβολὴν v. 16 quam permutationem vertit auctor et in figuram ἀλλοίωσιν v. 172 quam mutationem vertit. —

Quare quum demonstratum sit versus 150 — 187 cum versibus 13 — 150 quibus figurae ex ordine alphabetico dispositae sunt, plurimum discrepare praetereaque in figuris quibusdam explicandis nobis graviter offendendum esse, mea quidem sententia non jam ulla dubitatio esse poterit quin carmen quam ab origine formam habuerit ex versibus 1 — 150 solis constet, quum si forma ea est, auctorem id secutum esse intelligamus, ut figuras Rutilii Lupi ordine alphabetico tractaret. Quodsi concedetur, nulla in re haesitabimus carmenque plane absolutum ac perfectum erit. Ac si quaeritur, quomodo duodecim illae figurae carmini principali adscriptae sint, equidem ea de re hanc fero sententiam. Quum auctor v. 1 — 150 Rutilii figuras tractasset solas ea re posteriores ut simillimas notissimasque aliorum rhetorum figuras adjicerent, incitati sunt, praesertim quum carmen illud in usum scholarum compositum esset. Neque vero quem-

quam eo consilio has figuras adjecisse puto, ut ab auctore v. 1 — 150 profectae esse viderentur, sed eum figuras Alexandri notissimas in exemplari suo notasse. Tum posterioribus temporibus apographis factis, ea quae addita erant, auctori prioris partis attributa sunt.

Ceterum auctorem v. 150 — 187 multo minus ingenio valuisse auctore v. 1 — 150 quum ex versuum ratione tum e sermone cognosci potest. Si priori par ingenio fuisset et versus facere et in trinis versibus figuram et exempla pariter scite et eleganter includere potuisset atque auctor v. 13 — 150, multo difficilius nobis esset comprobatu, quod nunc ante omnium oculos est positum.

His ita de forma carminis principali disputatis pauca breviter percurrenda sunt, in quibus optimo jure offendimus. Ac primum quidem haesitamus in figura ἐπαναλήψεως v. 67:

Illa resumptio fit quaedam cum dicta resumo.
Cognitus est nobis, jam cognitus est bene nobis
Tu vere sapiens cunctis, imo ipsa Minerva.

Quod igitur schema fieri solet, ut verbis Rutilii I, 11 utar quum id quod dictum semel est, quo gravius sit, iteratur. Idem fere versifex in unum versum coartavit duobusque exemplis illustravit, quorum primum „cognitus est nobis jam cognitus est bene nobis“, quae vis huic figurae subjecta sit, egregie docet. Sed offendimus in secundo exemplo quod nullo modo figuram ἐπανάληψιν interpretatur „tu vere sapiens cunctis imo ipsa Minerva“. Ut in primo exemplo vocabulum „cognitus“ quo gravius

sit iteratur, ita in secundo exemplo vocabulum iteretur necesse est. Quod quum desideretur versui corrupto haec medicina afferenda est, quae facile se offert: „Tu vere sapiens cunctis, tu imo ipsa Minerva". Nam quum ultima praecedentis vocabuli syllaba sit „tis" facile fieri potuit, ut vocabulum „tu" omitteretur.

Primam quoque carminis partem, quam principalem esse supra diximus, a posterioribus auctam esse figura πάντα πρὸς πάντα v. 136 docet, quae est:

Cuncta ad cuncta: ut gens graja afra hispanica servit
Nam partim merito est ultus partim insidiantes
Praevenit partim victor virtute subegit.

Si quis figuras quae ex ordine alphabetico enumerantur diligenter perlustraverit ea in figura quam attuli, offendet sola, primum quum, nisi fallor, a rhetoribus non tractetur, deinde quum in ea id neglectum esse appareat, quod v. 1 — 150 semper servatum est. Atque tres sunt res in quibus offendimus: primum enim figura non definitur, deinde exemplum particula „ut" inducitur, tum exemplum paulo uberius omnes tres versus comprehendit. Quare quum ex quadraginta duabus figuris ad unam omnes hac excepta eadem ratione tractentur, ab auctore v. 1 — 150 in illum ordinem recepta esse non potest.

Quum res igitur ita se habeant, nullam dubitationem esse existimo quin carmen quae forma principalis fuit ex exordio v. 1 — 12 et ex iis figuris quae in ordine alphabetico leguntur, praeter figuram πάντα πρὸς πάντα constet.

Porro ad secundam partem ut transeamus editores carminis de figuris priores Quiceratus, Schneidewinus.

Sauppius in eo consentiunt, quum prosodiam tum sermonem adeo retinere antiquitatis horrorem, adeo desiderari augusteae aetatis nitorem ut carmen illis temporibus compositum esse appareat quibus illud scribendi genus aut usitatum esset, aut a singulis retineretur. Atque aequalem quidem Vergilii, Ovidii, Horatii auctorem arbitrati sunt, sed eum comptas eorum elegantias repudiasse et in veterum veneratione permansisse contenderunt. Libenter viris doctissimis concedimus, permulta in carmine esse quae tempora Ennii Luciliique redoleant, attamen quum secundo post Christum saeculo illius aetatis sermo revocaretur, obsoletisque et formis et verbis omnes diligentissime studerent, magna diligentia tali in re indagandum erit, quae in tempora hujus generis carmina releganda sint? De nostro quidem carmine dubitatio nulla esse poterit, quin christianis temporibus compositum sit, nam primum verba obsoleta quotquot leguntur quum antiquissimis tum posterioribus maxime temporibus usitata fuisse demonstrari potest, deinde permulta se offerunt, quae posteriorum tantum saeculorum sunt propria.

Quae res ut planius intelligatur, nonnulla in medium exempla proferemus rationem habentes quam maxime eorum vocabulorum quae Schneidewino Sauppioque obsoleta esse videbantur. Quot loci exemplaque afferuntur, desumpta sunt e thesauro totius latinitatis a Forcellini edito.

v. 47 „contempla“ legitur; forma activa usi sunt, Enn. ap. Var. l. l. 6, 2 contempla et templum Cereris ad laevam aspice. Plaut. Ep. 3, 3, 2 habere speculum ubi os contemplarent suum. Plaut. Merc. 2, 3, 72 con-

templent conspiciantque omnes. Nemes. fragm. 3 p. 49 ed. Stern cum contemplaverit, Appulej. Flor. II. no. 7 contemplare utitur infinitivo.

v. 81 sublimare i. q. germanice „erhoehen". Cato orig. 2 fr. 33 in maximum decus sublimavit. Macrob. Sat. 1, 24, 17 ut haec illum vel sola professio sublimaret. Aurel. Vict. ep. 4, 8 praetoriis ornamentis sublimatus. Appulej. met. 1, 8 manes sublimare, deos infimare, de deo Socrat. 3 ingenia illa ad beatitudinem sublimata sunt, haec ad miserias infimata; qui Appuleji loci plane cum significatione vocabuli „sublimare", quae apud incertum auctorem est, congruunt.

v. 156 viantes. Plaut. Truc. 1, 1, 7 pericla vianda. Pseud. 1, 5, 13 viantes. Solin. 29 f. submovere accensus viantium. Lact. 5, 65 praebent rupta locum stagna viantibus. Appulej. met. 6 quis viantium et ibidem 10 vianti marito domus expugnationem nuntiare.

v. 66 indupetrare: hae verborum formae antiquissimis temporibus usitatissimae postea revocabantur ut ab Juv. 4, 29 et saepius a Gellio ut 18, 9 et cet.

v. 19 differitas: semel ap. Lucret. 4, 637 tantaque in his rebus distantia et differitas, bis ap. Arnob. 2 p. 54 non plurima differitate distans et 7 p. 233 sine ulla differitate.

Opera sane supersedere possum alia hujus generis exempla afferre quum ex omnibus semper idem eluceat, verba verborumque structuras quae tempora Ennii Luciliique prae se ferant et illis vetustissimis et christianis temporibus adhibita esse. —

Jam pauca in medium vocabo quae christianis saeculis solis usitata fuisse constat.

v. 33 emorere legitur imperativus. Apud Ciceronem et aetate priores infinitivum emori solum, apud posteriores alias quoque formas in usu fuisse demonstravit Gernhard ad Cic. de sen. 19, 71.

v. 54 in peregri: adjectivum pereger ter legitur, Ulp. Regul. tit. 17 si legatarius ante apertas tabulas decesserit vel pereger factus sit, Auson. ep. 17 in comitatu tibi verus fui nedum me peregrem existimes composita fabulari, Venant. 4, 10, 14 susceptor peregrum. Adverbium peregre vel peregri saepissime omnibus temporibus usurpatum est. Formam „in peregri“ posterioribus demum temporibus usitatam fuisse Hauptius docuit in ind. lect. Berol. 1872 p. 6 qui haec affert: Terentius in Eunucho II, 3, 44 „continuo accurrit ad me quam longe quidem“. Adnotavit Donatus: „bene longe dixit, quia a longe non potuit dicere. An subjiciendum est „erat“ ut sit „quam longe erat?“ Non debebat (verba Hauptii) verissimae explicationi ineptam dubitationem adiicere; a longe autem quod Terentius sane dicere non potuit, itemque de longe inde ab ipsa Donati aetate percrebuerunt. Exempla ex scripturae sacrae interpretationibus Roenschius Itala et Vulgata p. 231, 5 et partim aliunde Munckerus in Hygini fabulis 257 congesserunt et cet. —

v. 156 artrare legitur, quae vox semel apud Plin. 18, 20, 182 invenitur.

v. 157 prosa absolute dictum est pro „prosa oratio“ quod bis invenitur: apud Quint. 9, 4, 97 nihil est prosa

scriptum quod non redigi posset in quaedam versiculorum genera et apud Gell. 10, 18 in tragoedia eum magis quam in prosa placuisse Hyginus refert.

v. 151 circumlocutio. Quint. 8, 6, 61 figuram περίφρασιν vertit circumlocutionem, praeterea haec vox bis legitur: apud Gell. 3, 1 circumlocutione poëtica quadam uti et apud Arnob. 6 f. dicere aliquid sine ullis circumlocutionibus.

Quae quum ita sint ex exemplis allatis plane perspicuum erit, auctorem carminis minime illis temporibus vixisse quibus hoc scribendi genus a singulis retineretur, imo prorsus quum vetustissimi nimia imitatione exprimerentur. Ceterum nobis non mirandum est licentiam sermonis hoc in carmine esse magnam, nam quum trinis versibus figuras singulas tractaret auctor et primo versu figurae definitionem afferret duobusque aliis figuram exemplis illustraret, eam rem auctori saepius in vocibus eligendis negotium exhibuisse patet. Qua de causa auctorem vocabula iteramen v. 42, pugilamen v. 60, aequisonus v. 109, suffragiolum v. 129, infortissimus v. 169 plane nova finxisse existimem. Reliquae voces plane novae ad accurate redelendos terminos graecos fictae sunt, ut v. 39 desitio—graece ἐπιφορά, v. 73 intersertio— ἐπιφωνούμενον, v. 82 parimembre— ἰσόκωλον, v. 85 distribuela— μερισμός, v. 88 remeatio— μετάβασις, v. 103 aequiclinatum— ὁμοιόπτωτον, v. 106 multiclinatum—πολύπτωτον, v. 109 supparile— παρονομασία, v. 112 subnexio— προσαπόδοσις, v. 121 suffessio— παρομολογία, v. 130 irreticentia— παῤῥησία, v. 148 depictio— χαρακτηρισμός, v. 154 praeoccursio— προϋπάντησις, v. 163 exadversio—ἀντεναντίωσις, v. 184 adsignificatio—προσδιασάφησις.

Quae quum ita sint, auctorem quam accuratissime terminos graecos latine convertisse elucet. Ac si quaerimus cur, significationibus usitatis usus non sit, primum figurae graecae ab aliis aliter vertebantur, cujus rei saepius testis Quintilianus, deinde auctor Rutilium ob oculos habebat qui appellationes figurarum graecas latine non converterat. Neque auctores in significationibus inusitatis offendisse, auctor ad Herennium 4, 7, 10 demonstrat, qui haec dicit: nomina rerum graeca quae convertimus, ea remota sunt a consuetudine, quae enim res apud nostros non erant, earum rerum nomina non poterant esse usitata. —

Atque haec quidem hactenus de sermone incerti auctoris de figuris, jam ad rem metricam pergamus, quae quam plurimum ad aetatem carminis judicandam valet.

Quamquam incepti satis lubrici esse videtur ratiocinationibus a re metrica petitis aetatem carminis definire, tamen jam saepe quum in graecis tum in latinis literis id factum esse patet. Atque primus quidem omnium Godofredus Hermannus hanc viam ingressus est, qui carmina, quae ὀρφικὰ appellantur et Orphëo poetae vulgo adscribebantur, tertio vel quarto p. Ch. saeculo orta esse metricis observationibus demonstravit. Porro usu aliis temporibus alio correptae ante mutam cum liquida syllabae carmina quae sunt κυνηγετικὰ et ἁλιευτικὰ eidem auctori Oppiano adscribi non posse evidendissime comprobatum est; licet auctores idem nomen habeant, id jam inter omnes constat, auctorem carminis quod est ἁλιευτικὰ aetate esse priorem altero. Jam in latinis literis praeter alia documenta ad aetatem carminum judicandam

unum firmum satisque certum semper exstat, ductum ab o finalis literae quantitate quo non sine magno literarum commodo Lachmannus in Homeri latini et Hauptius in Calpurnii et Nemesiani carminibus usi sunt. Atque Hauptius in opere illo „de carminibus bucolicis Calpurnii et Nemesiani Berol. 1854“ quum undecim carmina Calpurnio adscriberentur et ex o literae finalis quantitate et ex elisionis arte septem priora carmina Calpurnio, quatuor reliqua Nemesiano tribuenda esse pro certo affirmavit, quorum prior primo p. Ch. saeculo, alter sub finem tertii vitam egit. Praeterea alia etiam documenta quibus Hauptius ad carminum aetatem aestimandam usus non est, accedere possunt, quorum, etiamsi minus valeant iis quae supra diximus, tamen aliqua ex parte rationem habendam esse existimem. Equidem quaestiones de arte metrica ita institui, ut primum exponatur de grammatici accentus rationibus, deinde ut leges vocalium inter se concurrentium paucis percurrantur, tum ut de productis vel correptis finalibus agatur. Ac primum quidem de grammatici accentus rationibus et de arte rhythmica disserendum cfr. Luc. Muell. de re metr. p. 216 sqq.

Omnis usquequaque metri latini ars, quum ea re contineatur ut nullum in accentu verborum omne in initio eorum aut exitu sive congruo pedibus carminis seu dissimili momentum ponatur, omnium hexametri numerorum maxime displicent, qui dactylicum spondiacumve verbum sede secunda vel tertia habent, aut qui ultimi pedis artem violant. Atque sede secunda verbum dactylicum et aliquando spondiacum admiserunt vetustissimi Ennius, Lucilius, Lucretius,— Catullus, Vergilius, Horatius aequales sola

receperunt dactylica, sed vel haec rarissime. Nostri versifices toto carmine quod v. 187 constat tricies septies secunda sede dactylicum vel spondiacum verbum adhibuerunt et dactylicum tricies quater v. 13, 16, 34, 43, 45, 61, 64, 67, 70, 73, 76, 88, 89, 91, 94, 97, 112, 115, 117, 118, 119, 121, 124, 130, 139, 142, 147, 151, 154, 163, 172, 175, 178. Quamquam multo major verborum dactylicorum pars secunda sede adhibitorum constat terminis e graeco sermone versis, attamen verborum numerus tantus est, ut versificator omnino non ea in re offenderit. Ceterum hac in re auctor de figuris non solus nimius vetustissimorum admirator exstitit, nam vix quidquam apud eum invenimus quod apud Terentianum Maurum cujus librum semper cum carmine nostro contuli, non inveniatur. Nam in eodem versuum numero v. 1000 — 1087 verba dactylica leguntur v. 1029, 1096, 1137, 1158. —

Jam in tertium pedem versifex bis admisit vocem spondiacam v. 19 et v. 127, id quod Ennius et Lucilius rarissime, neotericorum Terentianus Maurus v. 1960 et Priscianus 412 admiserunt semel. Porro quum principale praeceptum sit versus latini ut finis ordinis metrici proprios sui numeros referat sinceros atque integros, jam erit anquirendum quatenus haec norma in carmine nostro observata sit. —

Vix credibile videtur alium auctorem quintae et sextae sedis leges toties migrasse quoties versificator migraverit.

Nam quum necessitate versus coactus tum ingenii vanitate duodecies in brevi illo carmine admisit in exitu

versus monosyllabum cui pracedit polysyllabum ut v. 15 interimas me, v. 40 uti sit, v. 47 valuit fors, v. 56 sapiens sis, v. 82 circuitus sunt, v. 87 ingenio rex, v. 114 adimes res, v. 116 vocat se, v. 129 erat ver, v. 139 accumulo res, v. 159 aves ut, v. 170 aliquem tu. Atque apud Terentianum Maurum v. 1000 — 1187 sex ejus rei exempla inveniuntur v. 1041, 1051, 1067, 1111, 1145, 1176. Porro polysyllaba quae metrum adonium quinta et sexta sede hexametri explent, leguntur duodecies in carmine de figuris ut v. 37 utilitate, v. 41 distribuela, v. 66 indupetravi, v. 85 nobilitari, v. 101 insidiatur, v. 129 suffragioloque, v. 137 insidiantes, v. 142 conciliamus, v. 154 posteriori, v. 168 principioque. Alios quoque auctores haud raro polysyllabis in versuum fine usos esse haud ignoro, sed plerumque in nominibus propriis quae excusationem habent, id factum esse constat, id quod auctor de figuris aliique neotericorum plane neglexerunt, nam apud Terent. Maurum leguntur paucis in versibus polysyllaba metrum adonium aequantia ter v. 1040 subjiciuntur, v. 1054 semisonantum, v. 1057 semisonantes. Quare utut est, id constat, hanc in versibus et incipiendis et finiendis licentiam quum ab vetustissimis tum ab antiquariis nunc raro nunc frequenter admissam esse. —

Jam pergamus ad eam partem rei metricae quae a Luc. Muellero de vocalibus inter se concurrentibus inscripta est, ubi de contractione, de synizesi, de dihaeresi, de hiatu erit disserendum.

Contractionem ut enarremus cfr. Luc. Muell. p. 250 sq. ea antiquissimis temporibus plus valebat quam postea.

Atque de formis pronominis quae sunt mi et mihi adnotandum e dactylicis usos esse breviore forma ubicunque longior inepta esset metro, poëtas vetustissimos Ennium, Lucilium, Lucretium, Catullum, praeterea Vergilium in Aeneide, Horatium in saturis et epistolis aliosque. Qui aetate posteriorum breviore forma utuntur, tantum non omnes adhibent rarissime et propter metri necessitatem ter Ovidius, semel Persius, semel Invenalis. Sed abstinuerunt breviore forma longe plurimi auctores quorum in numero noster versifex et Terent. Maurus referendi sunt, qui semper longiore forma utuntur ut auct. de fig. v. 28, 38, 99, 185. Praeterea Luc. Mueller p. 256 commemorat „dis“ pro eo quod est dives binis dactylicorum constare exemplis quorum unum legitur apud Sammonicum 397, alterum apud auctorem de figuris v. 87:

„Tu sumptu pauper dando dis ingenio rex.“

Nec plura erunt de dihaeresi addenda quoniam pauca nec semper satis aperta ejus rei inveniuntur exempla. Id sane constat Lucretium suadeo, suesco, composita verbi quod est solvo plerumque posuisse u vocali, praeterea semel consecuae V, 677, semel acuae VI, 1070. Atque Catullus dixit solvo et volvo, Horatius silvae et suetae, elegiaci solvo et volvo u vocali. Verum haec, sive poëtarum arbitrio sive vulgato provenerunt usu, post Augusti aetatem magis magisque evanuerunt. Neque tamen christiani auctores repudiarunt vocabula suavis, suadeo, suesco u vocali quod ut in carmine de figuris ita saepius in inscriptionibus invenitur, quae sunt apud H. Meyerum:

no. 605, 1 Quis tibi taurobolus vestem mutare süasit
no. 1369, 5 O mihi quam subito requiescis nate süavis.
no. 1597, 10 Te lusus puer in suos suëtos et cet.

Porro ad synizesin ut transeamus ea in re non offendendum esse censeam, versificatorem synizesin admisisse v. 153 in vocabulo „praeoccursio“ quum harum rerum similia saepius apud posteriorum temporum auctores legantur. Atque Terentianus semper quia monosyllabum adhibet quin etiam semel v. 1090 elidendo imminuit, apud Avianum 23, 12 et apud Paulinum Nolanum 15, 334 et 25, 331 eadem exstat disyllabum, porro apud Meyerum no. 1275 legitur hic pentameter:

„diebus post paucis est comitata suos.“

Jam de hiatu vocalium qui in fine verborum accidit id modo commemorabo in brevi nostro carmine longas vocales elisas inveniri XXII, medias XXXXIX, breves LXV, monosyllaba longa et media elisa esse quindecies ut „de“ v. 65 et „vim“ v. 62, elisionem omissam inveniri bis:

v. 30 Laudes inductus cui pes malus optige ambos
et v. 113 At nos non ut tu, nos simplicitate tu arte.

Reliquum est, ut de documento gravissimo agatur, quod continetur o litera finali, quam ad rem plane perspiciendam nobis paulo altius repetendum erit. Quam parci vetustissimi dactylici in corripiendis verborum nominumque in o mittentium formis fuerint ex eo apparet, quod formae in o exeuntes iambicae ab antiquissima inde aetate usque ad Vergilium sive correptae aperte sive elisae in brevi inveniuntur hae, quae sunt: homo Lucret. VI, 612, bibo ibid. VIII, 2, scio, volo Cat. 6, 16, dabo

Cat. 13, 11, puto quod plerumque adverbii est instar.

Praeterea Varro Atacinus insolenter „Cato“ pyrrhichiace extulit. Quare quum constet veteres iambicis vocabulis imminuendis fuisse perparcos haud erit credibile alia etiam diversae mensurae posse corripi. Verum inde ab Augusti temboribus infringenda o progressus est factus saepiusque jam quam prioribus temporibus correptae o finalis exempla inveniuntur cfr. Luc. Muell. p. 337 sq. Atque licentiam majorem sibi assumpserunt Seneca, Martialis, Juvenalis, Statius aequales qui et verborum et nominum in o exeuntes formas promiscue adhibebant neque raro corripiebant adverbia illico, intro, porro, sero atque numeralia ambo, octo. Quare Hauptius illa quatuor carmina, quae vulgo Calpurnio adscribebantur, ab eo profecta esse non posse demonstravit, quum in his carminibus novicia consuetudine correpta legantur: exspecto IX, 26, conjungo X, 14, concedo XI, 92, mulcendo VIII, 53, laudando IX, 80, trochaei instar ambo IX, 17, quamvis in septem prioribus carminibus contra severam antiquiorum poëtarum regulam nusquam litera o finalis corripiatur. Neque alienum erit, ut haec res planius intelligatur usum o finalis qui est apud Terentianum Maurum in versibus heroicis 999 — 1282 afferre. Correpta o finali leguntur haec verba: 1029 nescio, 1064 separo, 1086 subjungo, 1112 et 1152 dico, 1210 profero; producta o: cano v. 1032 et 1041, dico v. 1132. Quae nomina tertiae declinationis leguntur, hebent omnia o correptam v. 1131 et 1270 sermo, v. 1175 origo, v. 1179 occasio. Atque adverbia quae in o exeunt, nunc corripiuntur, nunc producuntur, ut quando producta o v. 1029, correpta o v.

1028, 1042, 1107, 1209; producta o idcirco v. 1168 et ergo v. 1074, correpta o imo v. 1179. Qua ab Terentiani ratione non differt auctoris de figuris usus literae o finalis qui pariter ac Terentianus saepius o finalem corripit quam producit. Quae enim verborum formae correpta o leguntur sunt hae: exspecto v. 14, queo v. 18, sibilo v. 24, necto v. 64, permitto v. 72, reddo v. 79, declino v. 94, definio v. 97, occupo v. 124, corrigo v. 151, subtraho v. 175, appono v. 178; producta o invenimus: oro v. 15, dico v. 22, reddo v. 58, percurro v. 61, rideo v. 80, accumulo v. 139. — Nominum tertiae declinationis producta o leguntur: v. 25 redditio, v. 37 desitio, v. 167 nemo, v. 180 leo, reliqua quotquot sunt, correptam habent o finalem. Verborum igitur duodecim exempla correptae o, sex productae inveniuntur, nominum tertiae declinationis triginta septem exempla correptae o, quatuor productae. Idem ex adverbiis et numeralibus elucet, nam ambo legitur producta o v. 144, correpta v. 59, vero trochaice usurpatur v. 53. Quamvis concedatur auctorem quum anxia cura terminos graecos verteret, saepe versus necessitate coactum licentiam quandam sibi sumpsisse, tamen correptio o finalis tam late patet ut ea res per se evidentissime comprobet, carmen nostrum ante Terentiani Mauri tempora non compositum esse.

Atque abjectae s finalis literae usus, de quo jam erit disserendum, quum apud vetustissimos frequentatus maxime esset, Catulli temporibus plane evanuit — Catullus semel s finalem abjecit 116, 8 — nullaque inde ab illo tempore apud auctores classicos vestigia exstant. Verum-

tamen auctores posteriores hunc antiquitatis horrorem ob id ipsum non plane repudiasse existimem quum nimiae antiquitatis imitationi studerent. An permirum videri potest praeceptores si exempli gratia figuras nobilissimas in usum puerorum versibus includerent, eorum licentia quorum libros quotidie interpretarentur, usos esse?

Auctorum quidem testimonia exstant duo gravissima, unum Marii Victorini, alterum Paulini Nolani cfr. Luc. Muell. p. 345, id quod in tanta saeculi tertii et quarti librorum penuria mirum videri non potest. Marius Victorinus sotadeum affert qui non stabit nisi s paenultimae voci subtrahitur:

„o mel quod apes omnibus e floribu' libant"

cui similis est dimeter Paulini 24, 820:

„sic mixtus ut non mixtu' sit."

Praeterea alia testimonia in inscriptionibus christianorum saeculorum leguntur; quae apud Orellium, cujus opera leviter aliquaque ex parte attigi, inveni, sunt haec:

no. 1184 Nardu' poëta pudens hoc tegitur tumulo.
no. 1193 Stalliu' Gajus has sedes Hauranu' tuetur,
Ex Epicureio gaudivigenti choro.

Porro in anthologia veterum latinorum epigrammatum et poëmatum, edita ab Henrico Meyero Lipsiae 1835, quam totam perlustravi, haec exempla inveni:

no. 607 Dignis digna loca picturis condecoravit,

Bentlej. in opusc. p. 519 scripsit:

dignis dignu' loca picturis condecoravit.

reginae Junoni' supremi conjugi' templum.

no. 1311, 5. Quos piu' saepe colit frater conjuxque puellae

„ 9. Ut sint qui cineres nostros bene floribu' sertis.

no. 1315 quae inscribitur: Vettius Agorius Aconiae Fabiae Paulinae conjugi

v. 30 Sed ista parva: tu piu' moves te sacris

no. 1461, 1 Aulu' Palateina Egnatiu' Priscilianus.

no. 1522, 1 Eheu heu Taraci, ut acerbo es deditu' fato! Non aevo exacto vitai es traditu' morti.

no. 1295, 2 Sed magi' lascivos suavis Bacchoque madere.

Neque praetermittendae sunt duae inscriptiones Pompejanae a professore illustrissimo Jordano mihi indicatae quae solae in quarto inscriptionum latinarum volumine s finalem habent elisam:

C. J. L. IV, 3653 conjugi' manes

„ 4905 quietu' queasque.

Plura sane hujus rei exempla is afferre poterit qui in omnes inscriptionum libros operam contulerit, mihi quidem exempla quae allata sunt sufficere videntur, ut demonstretur abjectae s finalis literae usum et reipublicae temporibus et christianis saeculis obtinuisse. Quare quum ex o finalis quantitate supra concluserimus christianis temporibus carmen nostrum compositum esse, nemo jam in vestigiis s finalis abjectae offendere poterit, quoniam exemplis quae allata sunt auctores christianorum

saeculorum hunc antiquitatis horrorem revocasse comprobatur.

Quodsi accuratius in carminum tempora inquirimus — duo carmina secernenda esse supra diximus — ea res plane dijudicari non potest, quoniam versuum compositione excepta carmina illa inter se non differunt. Quamvis in exordio v. 2 carmen quod principale diximus, Messio cuidam dedicari exponatur, tamen praeter gentem ignobilem cui hoc nomen est cfr. onomastic Tullianum ed. ab Orelli, duo hujus nominis viri nobis noti sunt: Messius juris consultus Papiniani aequalis et Arusianus Messius rhetor qui de elocutionibus quinto p. Ch. saeculo scripsit. Quocirca quum carmen nostrum ante Terentiani Mauri tempora compositum non esse demonstratum sit, haud scio an conjici possit carmen nostrum huic Messio rhetori ab amico vel discipulo dedicatum esse. Porro auctorem secundae partis v. 150—188 carmen de Amazonibus imitatum esse (v. 167), quod vulgo quidem Hadriano imperatori adscribebatur sed si virorum doctissimorum sententiam sequimur cfr. Teuffel röm. lit. 444, 1 posterioribus temporibus tribuendum est, loci inter se congruentes confirmant, qui sunt: carm. de Amazonibus in anth. lat. ed. a Meyer. no. 210:

Ut belli sonuere tubae violenta peremit
Hyppolite Theutranta, Lyce Clonon, Oebalon Alce;
Oebalon ense, Clonon jaculo, Theutranta sagitta

auctor de fig. v. 166

Nexum est si varias res uno nectimu' verbo
Oebalon ense Lycon ferit hasta, Pedason arcu

LIBRARY OF CONGRESS
0 022 204 577 0

Nunc medium est ferit et fini pote principioque.

Verba igitur „Oebalon ense“ his incertis auctoribus sunt communia, sed auctorem de figuris auctorem carminis de Amazonibus expressisse ex ea re apparet, quod quum in carm. de Amaz. legatur „Lyce Clonon“ auctor de figuris Lycon pro Clonen scripsit. —

Quare quamquam carminum tempora plane dijudicari non possunt, tamen ante quartum p. Ch. saeculum composita non esse pro certo affirmaverim.

LIBRARY OF CONGRESS
0 022 204 577 0

LIBRARY OF CONGRESS
0 022 204 577 0